



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 165. Epistola Eugenii Papæ ad Imperatorem Constantinum Palæologum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A.C. 1441.

mmat, pro reprobatis & damnatis habuit. Andreas lecto publice hoc decreto, quod primum latino, mox Arabico sermone conceptum erat, illud propria sua manu munivit, ejusque acceptationem firmavit, professus, omnia in ipso decreto contenta, divinæ, ac Catholicæ veritati consona existere. Insuper tam suo quam Patriarchæ, omniumque Jacobitarum nomine pollicebatur, omnes tanquam veros obedientiæ filios Papæ ac Sedis Apostolicæ decretis & jussionibus fideliter & semper obtemperaturos.

§. CLXV.

Epistola Eugenii Papæ ad Imperatorem Constantinum Palæologum.

Labbe Conc. to, 13. p. 1213

Sub idem tempus Eugenius Papa vigesima prima Aprilis currentis anni scripsit ad Constantinum Palæologum Despotam, qui Joanni Palæologo in Imperio Græcorum successit: Hunc Principem de unione Græcorum certiore reddidit, precaturque, ut, si favente Deo in Romæorum imperio succedere, & in Imperatorem creari contigerit, omnem operam dare velit, quo sancta occidentalis & orientalis Ecclesiæ unio concorditer celebrata in omnibus Græcis partibus sortiatur complementum, demum suo & Apostolicæ Sedis

dis nomine Constantino spondet, se au- Sæcul. XV.
 xilia illa, & subsidia, quæ Joanni Palæolo- A.C. 1441.
 go Imperatori pro defensione civitatis Con-
 stantinopolis pollicitus est, submissurum.
 Tandem subjungit: Nunquam Romanam
 Ecclesiam & Apostolicam Sedem illi desu-
 turam esse dubitet, eidem debitam, & devo-
 tam reverentiam exhibendo, dum etiam per
 semitam justitiæ inceserit, atque unionis hu-
 jusmodi sacrosanctæ necessarium complemen-
 tum tam fideliter quam potenter adhibuerit,
 quæ unio, inquiebat Papa, illius (scilicet
 Joannis Imperatoris) culpa & tepiditate
 impleri non potuit.

§. CLXVI.

*Litteræ Æthiopum Regis ad Eugenium
Papam.*

Exstant quoque litteræ per Æthiopiæ *Ibid. p. 1214.*
 Regem ad Eugenium Papam datæ,
 quas Florentiam deferendi negotium a
 Rege illo cuidam Æthiopum Abbati, cui
 nomen Nicodemus, demandatum erat.
 Postquam hic Legatus ad alloquium ad-
 missus, in quadam Congregatione die se-
 cunda Septembris celebrata auditus erat,
 significabat, Regem suum scripsisse, quod
 ipsemet pro unione cum Ecclesia Roma-
 na feliciter perficienda in Italiam venturus
 esset. Huic tamen unionis desiderio o-
 ptatus respondisse exitus haud videtur.

Hist. Eccles. Tom. XXVII. S s Re-